Restat dicere consequenter de insolubili disiunctiuo: pro cuius declaratione hec prima regula insolubile disiunctiuū cuius vna pars est per se: fit insolubile simpliciter si eidē in casu adduntur omnes conditiones cum nota exclusionis: verbi gratia posito q̃ illa disiunctiua que fit a nullus deus est: vl' nulla disiunctiua est vera sit omnis disiunctiua significans precise sicut termini pretendunt. Isto posito ⁊ admisso: q̃ro vtr a sit verū. Si dicitur q̃ sic: ergo alta pars est vera: ⁊ non prima: ergo secūda tunc arguitur sic. Secūda pars est vera ergo significat precise ⁊ principaliter: sic est. Sed secūda pars significat precise q̃ nulla disiunctiua est vera: ergo ita est q̃ nulla disiunctiua est vera: ⁊ per consequens a non est verū. Si dicit q̃ a ē falsum: ergo secunda pars est falsa sed ipsa significat precise q̃ nulla disiunctiua est vera: ergo non est ita q̃ nulla disiunctia est vera: ⁊ a est omnis disiunctiua: ergo a est verum. Preterea dicitur q̃ a in casu isto est insolublie simpliciter: ideo non admittendus est casus: q̃ implicat contradictionem. Secūda regula est ista insolubile disiunctiuum apparenter cui⁹ vna pars est contingens falsa fit insolubile: fm quid eidem addendo in casu omnes conditiones cum nota exclusionis. verbi gratia. Dono tibi, istam tu non es homo: vel nulla disiunctiua est vera que sit a: ⁊ sic omnis disiunctiua significans precise sicut termini pretendunt. Tertio posito ⁊ admisso: quero vtrum a sit verū si dicitur q̃ sic: ergo vna pars est vera non prima: ergo secunda. tunc arguit sic. Secūda ps ē vera: ergo significat precise sicut est: Sed ipsa significat precise q̃ nulla disiuuctiua est vera: ergo ita est q̃ nulla disiunctiua est vera: ergo a non ē verum. Si dr q̃ a est falsū: ergo secunda pars est falsa. Sed ipsa significat precise q̃ nulla disiunctiua est vera: ergo nō est ita q̃ nulla disiunctiua est vera: ergo aliqua disiunctiua est vera: ⁊ a est omnis disiunctiua: ergo a est verum: ⁊ ita vt apparet sequitur contradictioin isto casu sicut i primo: ⁊ per consequens regula non ē vera. Respondetur concedendo regulam: ⁊ admittendo casum ⁊ dicitur q̃ a est verum: ⁊ tunc quando dicitur non prima pars est vera: ergo secūda: dico q̃ prima pars est vera: quia ipsam esse veram sequitur ex casu: ⁊ secunda est falsa: ⁊ ex hō non conduditur inconueniens. Verum tamen huiusmodi disiunctiua non est insolubilis nisi apparenter vt dicebatur in regula: quia omne insolubile est falsum: ⁊ a est verum: ergo a non est insolubile: Tertia regula. Omne isolubile disiunctiuum fit insolubile fm quid eidem addēdo in casu omnes conditiones preter notam exclusionis. verbigratia posito q̃ illa disiunctiua homo ē asinus: vel illa disiunctiua est falsa que fit a sit omnis disiūctiua significans sicut termini pretendūt admittitur casus: quo admisso dico q̃ a ē falsum: ⁊ secunda pars significat aliter q̃z est: sed nego q̃ ipsa significet precise q̃ illa disiunctiua est falsa: immo etiam significat aliter: scilicet q̃ a est verum eodē modo diceretur si poneretur q̃ illa tu nō es homo: vel illa disiunctiua non est vera esset omnis disiunctiua: ⁊ significaret sicut termini pretendunt. Notandum q̃ nulla disiunctiua est insolubilis: cuius altera pars est vera: nec fuerit isolubilis positis illis conditionibus sepius nominatis: vt deus est: vel omnis disiunctiua ē falsa: tu es homo: vel ista disiunctiua est falsa. Vnde ponendo casum quēcunq̃z nominatum admitteretur ille ⁊ concederetur quelibet illarum disiunctiuarum propter veritatem prime partis. Contra istā responsionem arguit sic. Omne a ē falsum: sed o ē a est ista disiunctiua: ergo illa disiunctiua est falsa: tenet consequentia: quia sillogismus in p⁹ tertie figure: ⁊ antecedens est verum: ergo ⁊ consequens sed consequens est secunda pars disiunctiue: ergo ipsa est vera: ⁊ per consequēs a est verum. Secundo arguit sic. Oopositum a est falsum: ergo a est verum: ānecedens probatur. Nam hoc est falsum: nullus homo est asinus: ⁊ illa disiunctia non est falsa: ⁊ hoc est oppositum a: ergo

c

oppositum a est falsum: consequentia tenet cum minori: ⁊ maiorem probo. Maiz ipsa est vna copulatiua cuius secunda ps est falsa: quia iam concessum est q a est falsum. Ad primum dicitur concedendo consequentiam ⁊ negando ipsam esse bonam: ⁊ cum dicitur q est sillogisinus i pⁿ tertie figure: nego: quia cõclusio ypothetice significat qualiter non contingit conclusioni alicuius boni sillogisini.

Ad secundum dicitur q oppositum a nõ est illud: sed hoc nihil qõ est homo ẽ asinus: ⁊ non ista disiunctiua est falsa: cuiⁿ secunda pars significat duobus modis sicut suum contradictorium. Hec argumenta poterant applicari cⁿ copulatiuarum: sed totiens est inutile replicare. Ex prima regula sequitur q si poneret hanc homo est asinus: vel quandoqz aliã propositionẽ significare esse q homo ẽ asinus: vel q nulla propositio est vera non esset admittendus casus: quia sequeretur contradictio. Ex secunda regula sequit: q si poneretur hanc homo est asinus eẽ omnem propositionem: ⁊ significare precise te non esse. Vel q nulla propositio est vera admitteretur casus: ⁊ diceretur istam esse veram homo est asinus. Ex tertia regula sequitur q si poneretur istã homo est homo esse omnem propositionez ⁊ significare hominem esse asinũ vel q nulla propositio est vera non ponendo precise deberet admitti casus: ⁊ consequenter dici q illa est falsa homo est asinus quare ⁊c.

Vltimo quedam declaro insolubilia que insolubilia non apparent vt sortes non habebit denarium plato non pertransibit pontem: ⁊ pono q omne dicens verum habebit denariũ ⁊ solum tale: ⁊ q tu dicas istam propositionem: ⁊ nullam aliaz que sit a ego nõ habebo denarium significantem precise sic termini pretendunt. Isto posito quero: vtrum habebis denarium vel non. Si dicitur q tu habebis denariuz: ⁊ omnis qui habebit denarium dicit verum: ergo tu dicis verũ: ⁊ non dicis nisi a: ergo a ẽ verũ: ⁊ tũc sic a est verũ: ⁊ significat precise q tu non habebis denariũ: ergo tu ñ habebis denariũ: qõ est contradictorium prius cõcessi. Si aũt dr q tu nõ habebis denariũ: ergo tu nõ dicis verũ: ⁊ non dicis nisi a: ergo a nõ est verũ: tunc sic a ñ est verũ: ⁊ a significat precise q tu nõ habebis denarium: ergo nõ erit ita q ñ habebis denariũ: ergo tu habebis denariũ ⁊ ita sequit cõtradictio. Similiter potest argui in principio vtrum a sit verum vel falsum quemadmodũ in alijs insolubilibus querebatur. Propterea non admittitur casus: q: ex eo originem trahit insolubile simpliciter. Si tamen in casu non ponitur dictio exclusiua admitto casum: ⁊ dico q tu non habebis denarium: ⁊ q a non est verum: sed tunc ad argumentũ a non est verũ: sed a significat precise q tu non habebis denarium: ergo non est ita q tu non habebis denariuz: nego minorem: quoniam a significat q tu nõ habebis denarium: ⁊ q a est verum: ⁊ non ratiõe primi significati a est falsum: sed ratione secundi. Verũtamen si fieret cõsequentia non ponendo precise in minori negarem consequentiam. Eodem mõ respondetur ad casum pontis quãdo ponit q omne dicens verum pertransibit pontem: ⁊ solum tale: ⁊ sortes qui sit omnis sortes dicat illã propositionem ⁊ nullam aliam sortes nõ pertransibit pontẽ significantez precise sicut termini pretẽdũt nõ admittit casus. Si tamen remoueret dictio exclusiua admittatur ⁊ dicatur consequenter q sortes nõ ptransibit pontez. ⁊ q a est falsum. Contra istam respõsionem arguit sic: nullum dicens falsum pertransibit pontem: sed sortes dicit falsum: ergo sortes non pertransibit pontẽ. Maña bona: q: est sillogisinus i quarto prime figure: ⁊ aũs est verũ: ergo et consequens: ⁊ Mũs est a: ergo est verũ. Secũdo arguitur sic Mdictoriũ a est falsum: ergo a est verum: aũs ꝓbatur: quoniam hoc est falsum sortes pertransibit pontẽ: ⁊ hoc est Mdictorium eius: ergo ⁊c. Prima pars antecedẽtis ꝓbatur: nã sortes dicit falsum: ergo nõ pertransibit pontẽ ⁊ illa propositio sortes pertransibit pon-

tem significat precise q̃ sortes pertrãsibit
pontẽ. ergo est falsa. Ad primũ respõ
detur concedendo consequentiã ⁊ negã/
do ipsam esse bonam: nec est silogismus
in quarto prime figure: quia consequens
significat ypothetice copulatiue: ⁊ hꝰ sup
posito q̃ conclusio sit a vel conuertibilis
cum a. Ad secundum dicitur q̃ assi/
gnatum non est contradictorium a: sed
istud non sortes nõ pertransibit pontem
significans disiunctiue modo opposito
ad a sicut sepissime est recitatum Jam
arguo contra totum fundamentũ, insolu
bilium probando q̃ non quodlibet inso/
lubile fm quid significat copulatiue mo
do dcõ: quia tunc quodlibet insolubile so
ret impossibile simpliciter consequẽs fal
sum: quia insolubile est concedendũ i ca/
su: vt patuit: ⁊ nullus impossibile simpli/
citer est concedendum infra tempus ob/
ligationis: ergo ⁊c. Et q̃ illud sequatur
probatur. Nam quodlibet tale insolubi
le significat copulatiue ipossibile simpl'r ⁊
hꝰ precise ⁊ pricipaliter: ergo quodlibet in
solubile fm quid est impossibile simplici
ter: consequentia tenet: ⁊ antecedens p/
bo: sumendo hoc insolubile hoc est falsũ
significat enim q̃ hoc est falsum: ⁊ hoc ẽ
verum: sed hoc est falsum: ⁊ hoc esse ve
rum est impossibile simpliciter: ergo ⁊c.
Hoc argumentum est difficile ualde: ſz
tamen breuiter soluere tur nunq̃z conce/
dendo insolubile sicut alias non conce/
debã ipsum ⁊ tunc dicebam q̃ quodlibet
insolubile est propositio impossibilis fm
pliciter. ⁊ ita non pcederet argumentuz
Verũtamen quia concessi insolubile pro
positum: ⁊ negaui ipsum esse verum nõ
possem dicere bene respondendo ipsum
esse impossibile simpliciter: sed solũ possi
bile. Et tunc ad argumentum suum sig/
nificatum principale est impossile: ergo i
solubile est impossibile: non vale argu
mentum. Pro quo est notandum q̃ in/
solubile habet duo significata: Vnũ ade
quatum ⁊ aliud principale. Adequatum
significatum est significatum cathegori/
cum simile dicto insolubilis. vnde sig/
nificatum adequatum istius sortes dicit
falsum est istud sortem dicere falsum: vel
q̃ sortes dicit falsum. Principale au/
tem significatum est significatum ypo/
thericum: vt sortem dicere falsum: ⁊ istaz
propositionem esse veram. Dico ergo q̃
penes aliud attenditur possibilitas inso
lubilis: et penes aliud sua falsitas. Pos/
sibilitas nanqz attenditur penes possibi
litatem significati adequati. Et ipsius fal
sitas penes falsitatez significati principa
lis. hec ergo est possibilis. Omnis pro/
positio est falsa: quia possibile est omnez
propositionem esse falsam: sed ipsa ẽ fal
sa: quia suum significatum principale est
falsum scilicet omnem propositionem es
se falsam: ⁊ illam esse veram. Tamen ex
tra materiam insolubilium penes idem
attenditur possibilitas veritas vel falsi/
tas propositionis: quia penes significa/
tum. Notandum q̃ non quecunqz hꝰ
locutus sum: seu in cet eris tractatibꝰ ca
dixi secundum intentionem propriam:
sed partim etiam fm intentionem aliorũ
doctorum: vt iuuenes incipientes facili/
us introducantur.

De obiectionibus contra primum tra
ctatum.

Summularum notitia ad me/
moriam reducatur ponendesunt
quedam obiectiones contra q̃sl/
dam regulas vel diffinitiones quibꝰ so/
lutis reducentia habeatur. Primo nam
qz arguitur contra diffinitionem propo/
sitionis qua dicebatur. Propositio est
oratio indicatiua verum vel falsum sig/
nificans: contra quam diffinitionem sic
arguitur. Hec oratio antichrystus esset
albus est propositio: et tamen non ẽ ora/
tio indicatiua: ergo diffinitio propositio
nis non est sufficiens: cõsequentia tenet
cum maiori: ⁊ maiorem probo. Mã qd/
libet antecedens alicuius conditionalis
est propositio: sed antichrystus esset albꝰ
est antecedens alicuius cõditionalis: gꝰ
est propositio: patet consequentia: q̃ est
silogismus in tertio prime figure: Et
maior etiam patet: quia conditionalis
ẽ istam qua coniunguntur plures pro/
positiones cathegorice mediante nota:

conditionis: et minorem probo: quoniam antecedens huius conditionalis si antichristus esset albus: antichristus esse coloratus: ē alia oratio antixp̃s esset alb⁹ Respondetur concedendo diffinitionez propositionis: ⁊ nego q̃ ista oratio antichrystus est albus sit propositio: ⁊ tūc ad argumentū nego istam maiorem omne antecedens alicuius conditionalis ē propositio. Et quando hoc probatur per diffinitionem conditionalis dicendo q̃ conditionalis est illa in qua ꝯiungūtur plures cathegorice ⁊c. Dicitur q̃ ista diffinitio est falsa de virtute sermonis: sed itelligitur sic. Conditionalis est illa in qua coniungunt plures cathegorice aut plures orationes se habentes per modum cathegorice: sed iam in proposito non coniūgunt plures cathegorice in ista conditionali: sed plures orationes se habentes per modum cathegorice. vnde ista oratio antichristus est albus nō est cathegorica: sed se habens per modum cathegorice: quia habet suas partes principales p modum subiecti predicati ⁊ copule. Secundo arguitur contra regulam propositiōis vniuersalis qua dicitur q̃ propositio vniuersalis est illa in qua subiicit terminus cōmunnis signo vniuersali determiatus Nam ista propositio non qlibet hō currit non est propositio vlis: ⁊ tamē in ea subiicit termin⁹ cōis signo vli determinatus. ergo regula falsa ꝯnatz: ⁊ prima ps antecedentis probatur: qm̄ ista nō quilibz homo currit equiualet isti in figura: aliquis homo non currit: q̃ negatio proposita fac̄ equipollere suo ꝯdictorio: sed aliquis homo non currit nō est propositio vlis: ergo nec illa non qlibet homo currit. Secda ps antecedentis probatur. Nā omne adiectiuum alicuius substantiui ē determinatio eius: sed li quilibet ē adiectiuum isti⁹ termini homo: ergo ē determinatio ei⁹: ⁊ p ꝯns li homo determiatur signo vniuersali: quod erat probandū. Respondet q̃ argumentum verbaliter concludit: sz nō contra intellectum regule qui est iste propositio vniuersalis est illa in qua subijcitur terminus communis signo vniuersali distributiue mobiliter determinatus: sed iam in proposito subiectum propositionis assignate determinatur signo vniuersali non distributiue: sed solum adiectiue: ⁊ ita ad argumentum non procedit. Tertio arguitur contra regulam propositionis particularis qua dicitur. Propositio particularis est illa in qua subijcit terminus cōmunis signo particulari determinatus. Nā illius nō aliquis homo non currit: nō est propositio particularis ⁊ tamen in ea subijcitur terminus cōmunis signo particulari determinatus. g⁹ regula falsa: consequentia tenet cum maiori: quia equiualet isti in figura quilibz homo currit que non est particularis minor probatur. Nam omne adiectiuū alicuius substantiui est determinatio eiusdē sed li aliquis est adiectiuum illius termini homo. ergo est determinatio ipsius ergo. li homo determinat signo particulari qd̄ erat pbam. Dicitur q̃ nō arguitur contra intellectū regule: q̃ regula sic intelligitur. Propositio particularis est illa in qua subijcitur terminus cōmunis solo signo particulari determinatus: sed iam in proposito subijcitur terminus cōis determinatus signo particulari adiectie ⁊ etiā distributiue: ⁊ p consequens non determinatur solo signo particulari.

Quarto arguit ꝯ regulā propositionis i definite: que erat talis propositio indefinita. Est illa in qua subijcit termin⁹ communis sine signo. Dono eni q̃ a sit preiacens illius vniuersalis oīs homo currit vz homo currit. Et arguo sic a est propositio indifinita: ⁊ tamē i ea subicit termin⁹ cōis mediante signo: ergo regula falsa: ꝯna tenet cum maiori: ⁊ minorē probo. Nam idē ē subiectum a ⁊ sue vlis: sz subiectū vniuersalis a subijcit mediāte signo: ergo subiectū a subijcit mediante signo quod erat probandū. Dicit q̃ ñ arguitur cōtra intellectum regle. Que sic intelligitur. Propositio indefinita est illa in qua subijcitur terminus communis sine signo quod sit aliquid illius modo ad propositum: licz subiectum a subijciatur mediante signo: non tamen mediāte

signo existente aliquid illius a: quoniaz signum vniuersale non est pars sue preiacentis: sed propositionis vniuersalis: cuius preiacens est pars. Quinto arguitur contra regulam propositionis singularis que erat illa. Propositio singularis est illa in qua subijcitur terminꝰ discretus vel terminus communis cū pronomine demonstratiuo. Contra arguitur sic ista propositio omnes isti currūt non est propositio singularis: ⁊ tamen in ea subijcitur terminus discretus ⁊a. consequentia tenet cum maiori: quia frustra adderetur signum vniuersale: ⁊ minor patet. Nam omne pronomen demōstratiuum est terminus discretus: sed subiectum propositionis assignate est pronomen demonstratiuum: ergo est terminꝰ discretus. Respondetur ꝙ quelibet istarum omnes isti currunt vterqz istorum mouetur est propositio vniuersalis: ⁊ ne ꝙ ibi subijciatur terminus discretus. Et tunc ad argumentum omne pronomen demonstratiuum est terminus discretus verum est singularis numeri: sed nō pluralis. vnde terminum discretum voco illum qui non potest simul competere nisi vni vt iste ista istud: hic hec hoc. Et timinum communem voco illum qui simul potest competere pluribus: vt li homo li animal: ⁊ pronomina demonstratia pluralis numeri videlicet isti istorum ⁊ huiusmodi. Sexto arguitur ꝗ regulas affirmatiue ⁊ negatiue propositionum que fuerunt iste. Propositio affirmatiua est illa in qua verbum principale affirmat. Et propositio negatiua est illa in q̄ verbum principale negatur. Nam preiacēs istius vniuersalis negatiue nullus homo currit est affirmatiua: et tamen in ea verbum principale negatur: ergo regule false consequentia tenet cum maiori: qꝰ niam hec homo currit ⁊ quelibet sibi consimilis est affirmatiua: ⁊ minorem ꝓbo. Nam idem est verbum vtriqz scilicet vniuersalis negatiue ⁊ sue preiacentis: sed verbum principale vniuersalis negatiue negat: ergo verbum principale preiacentis negatur. Dicitur ꝙ argumentum procedit verbaliter cōtra regulam: sed non contra intellectum ciꝰ. Intelligitur nanqz sic regula propositionis negatiua. Propositio negatiua est illa in qua verbum principale negatur p negationem existentem aliquid illiꝰ: modo licet illius preiacentis verbum principale negetur: non tamen per negationem existentem aliquid illiꝰ: quia illa negatio nullus non est pars illius hō currit: sed illius nullus homo currit. quare ⁊c.

Materia equipollentiaruz seu propositionum existentium in figura ponebantur alique regule: quarum prima erat ista. Duo contraria non possunt simul esse vera. Contra quam regulam argnitur sic. Ista sunt simul vera quilibet homo animal est: ⁊ qlibet hō animal non est: ⁊ hec sūt duo contraria: ergo duo contraria sunt simul vera: tenet consequentia: ⁊ probatur prima pars antecedentis. Nam illa est vera qlibet homo animal est: vt patet per suas exponentes. Et ꝙ altera sit vera probatur Iste homo animal non est: ⁊ iste homo animal nō est: ⁊ sic de singulis: ⁊ isti sunt omnes homines masculi: ergo quilibet homo animal nō est: tenet consequentia a singularibus sufficiēter enumeratis ad suam vniuersalem: ⁊ quelibet singularis antecedentis probat isto modo: iste homo asinus nō est: ⁊ omnis asinus ē animal: ergo iste homo animal nō est: tenet cōsequentia ab inferiori ad suum superius negatione postposita: ⁊ cum debito medio. Sed secūda pars antecedentis ꝓbatur. Nam vniuersalis affirmatiua: ⁊ vniuersalis negatiua de cōsimilibus subiectis ⁊ predicatis supponētibus precise pro eodem vel pro eisdem sunt contrarie in figura: sed iste duo vniuersales assignate sunt huius: ergo sunt cōrarie: tenet consequentia cum minori: ⁊ maior est regula posita ibidem. Respondetur breuiter ꝙ quelibet illarū est vera: sed nō sunt cōrarie: ⁊ tunc ad regulam dico ꝙ oportet addere in regula ꝙ terminus cōmunis nō distributus in vna distribuat in

reliqua: sed iam in proposito in vtraqz istarum li animal stat confuse tantū: ideo ista sunt contraria quilibet homo animal est: ⁊ quilibet homo animal est: ⁊ quilibz homo nullum animal est: quarum regula est falsa. Similiter ista sunt contraria quilibet homo animal non est: ⁊ quilibet homo omne animal est: quarum secūda ē falsa. Similiter est dicendū in obliqs casibus q̄ illa non sunt contraria. Cuiuslibet hominis asin⁹ currit: ⁊ cuiuslibet hominis asinus non currit. Ponendo regulam cōmunē q̄ quando obliquis precedit rectum obliquus est subiectum ⁊ rectus se tenet a parte predicati: vt in ꝓposito: sed quando rectus precedit obliquū qui est determinatio recti vterqz illorum ponitur in subiecto: vt omnis asinus hominis currit: prime ergo vniuersalis est hec contraria: cuiuslibet hominis nullus asinus currit: ⁊ secunde est ista cuiuslibet hominis omnis asinus currit. Secūda regula erit illa duo contradictoria nō possunt simul esse vera neqz simul falsa.

Contra quam regulam arguitur sic illa sunt simul vera: quilibet homo animal est: ⁊ aliquis homo animal nō est: ⁊ hec sunt duo contradictoria: ergo duo cōtradictoria sunt simul vera: tenet consequētia cum minori: quia vniuersalis affirmatiua: ⁊ particularis negatiua de consimilibus subiectis ⁊ predicatis supponentibus precise ꝓ eisdem sunt contradictoria in figura: sed ista sunt huiusmodi: ergo ⁊c. maior probatur. Nam q̄ illa sit vera quilibet homo animal est: patet per suas exponentes: ⁊ secunda probatur: tu animal non es: ⁊ tu es aliquis homo: g⁹ aliquis homo animal non est: tenet consequentia ab inferiori ad suum superi⁹ negatione postposita: ⁊ cum debito medio Prima pars antecedentis probatur: tu capra non es: ⁊ omnis capra est animal: ergo tu animal non es: patet consequentia per eandem regulā. Dicitur q̄ quilibet illarum est vera: sed non sūt ꝑdictorie: ⁊ tunc ad argumentū dico q̄ vltra p̄dicta intelligit q̄ terminus nō distribu⁹ in vna distribuatur in alia qualiter nō ē in proposito: quia li animal in vniuersali stat cōfuse tantū: ⁊ in particulari determinate: ideo contradictoriū istius: quilibet homo animal est dicitur esse tale aliquis homo nullū animal est: ⁊ istius aliqs homo animal non est ꝑdictorium est quilibet homo omne animal est. Eodem modo dicitur q̄ illa nō sunt ꝑdictoria: cuiuslibet hominis asinus currit: ⁊ alicui⁹ hominis asinus nō currit: sed prima cōtradicit isti: alicuius hominis nullus asin⁹ currit: ⁊ secūda isti: cuiuslibet homis omnis asinus currit. Tertia regula erat illa duo subcontraria non possunt esse simul falsa: sed bene simul vera. Cōtra quā regulam arguitur sic: illa sunt simul falsa: aliquis homo omne animal est: ⁊ aliquis homo nullus animal est: ⁊ hec sunt subcontraria: ergo duo subcontraria sūt simul falsa: q̄ autem illa sint simul falsa: patet: quia quocunqz homine demōstrato falsum est dicere q̄ ipse omne animal est: aut ipse nullum animal est: sed q̄ isse sint subcontrarie notum est: quia particularis affirmatiua: ⁊ particularis negatiua de consimilibus subiectis ⁊ predicatis supponentibus precise pro eisdem sūt subcontrarie in figura: sed ille sunt huiusmodi: ergo ⁊c. Respondet q̄ ille sunt simul false: sed nō sūt inuicē subcontrarie. Et tunc ad argumentū regule dicitur q̄ vltra illud q̄ asserit: intelligit q̄ terminus cōmunis distributus in vna no distribuatur in alia: qualiter nō est in proposito: quia li aial vtrobiqz stat distributiue: iō ille sunt subcōtrarie: aliquis hō omne animal: ⁊ aliqs hō aial nō est. Et iste similit aliqs homo nullū animal ē: ⁊ aliquis hō animal est: ita q̄ semp ꝑdicatū difformit supponat si in vna distributiue in alia determinate ⁊ ecōuerso: de subiecto autem nō dr̄ q̄ semp dz stare determinate. Itez ē iudiciū de istis: alicuius hois ois asin⁹ currit: ⁊ alicuius hois nullus asinus currit: aut d̄ istis: alicuius hois asinus currit: ⁊ alicui⁹ hois asinus nō currit. Mā i prima li asinus cōtinue distribuit ⁊ i alis nunqz. Ideo sicut prime non sūt subcontrarie nec secunde: sed iste sunt subcō

trarie alicuius hoīs oīs asinus currit: et alicuius hois asinus non currit. Itez alicuius homis asinus currit: ⁊ alicuius hominis nullus asinus currit sunt subcontrarie.

Quipollentiarum prima regula erat ista negatio prepositа facit equipollere suo ꝗdictorio. Cōtra quā regulā arguitur sic. Ista ꝓpositio nō aliquo hoie currente tu es asinus non equalet isti nullo hoie currente tu es asinus: ergo regula falsa: ꝗña tenet ⁊ antecedens probatur. Mā prima est vera: ⁊ secūda est falsa: ergo nulla illarum alteri equipollet: ꝗña tenet: ⁊ antecedens, probatur. Primo q̄ ista sit vera: nō aliquo hoīe currente tu es asinus: quia suum ꝗdictoriū est falsum. ſ. aliquo hoie currente tu es asinus: probatur hoc. Mā ista propositio habet tres causas veritatis. ſ. q̄ aliquis homo currit tu es asinus dū homo currit tu es asinus: ⁊ si aliquis homo currit tu es asinus: sed quelibet istarū est falsa vt bene patet. ergo ⁊ ista. ſ. aliq⁹ homine currēte tu es asin⁹: q̄ q̄libet suarū causarū est falsa. ſ. quia nullus homo currit: tu es asinus dum null⁹ homo currit tu es asinus: ⁊ si nullus homo currit: tu es asinus. Ideo respōdeꝰ negando primam consequentiam qua inferꝰ q̄ illa regula est falsa: sed deberet sic argui nō aliquo hoie currente tu es asinus nō equalet isti: nullo homine currente tu es asin⁹ ⁊ ista ꝗdicūt. ſ. aliquo hoie currente tu es asinus: ⁊ nullo homine currēte tu es asinus: ergo regula falsa: ⁊ tūc nego minorē: q̄ sunt duc, propositiones affirmatiue, probatue p suas cās veritatis: quarū nulla ē alicui⁹ q̄ztitatis. Consimillit nō sequiꝰ ille nō equiualēt nō q̄libet homo animal ē: ⁊ aliquis hō aīal nō ē: g⁰ regula falsa: q̄ prima ē falsa, ⁊ secūda ē vera: sed oportet addere i antecedente q̄ illa ꝗdicunt q̄libet hō aīal ē: ⁊ aliqs homo aīal nō est: q̄d negaꝰ vt in alio capitulo patuit. Secunda regula fuit negatio ista postposita facit equipollere suo contradictorio.

Contra arguitur sic ista ꝗña nō valet q̄libet hō animal non est: ergo nullus hō animal est: ⁊ tamen arguitur per regulā ergo regula falsa: cōsequentia tenet cum minori: quia arguitur negatione postposita: ⁊ maiorem, probo antecedēs est verū ⁊ consequens falsum: ergo cōsequentia non valet: q̄ antecedens sit verum probatum est supra: sed q̄ consequens sit falsum probatur: quia suum contradictorium est verum. ſ. aliquis homo aīal est. Respondetur negando q̄ arguatur per regulam. Et tunc ad probationem ibi arguitur negatione postposita: ergo arguitur per regulam: argumentū nō valet: ſz oportet addere in antecedente q̄ illa sit ꝗria: quilibet homo omne animal ē ⁊ nullus homo animal est: quod est falsum: q̄ predicatum vtrobiqz distribuit. Dicitur ergo q̄ illa sunt contraria: quilibet homo animal est: ⁊ nullus homo animal ē. Non tamen negatio postposita predicato faciet primam cū illa negatione eqpollere regule: sed oportet negationem postponi subiecto: ⁊ pponi predicato dicēdo q̄libet homo nullū aīal: ergo nullus homo aīal ē. Itē si negatio postponereꝰ signo ⁊ nō subiecto nō argereꝰ p regulaz dicēdo null⁹ nō hō ē grāmatic⁹: ergo q̄libet hō ē grāmatic⁹: q̄ ꝗñs est falsū: vt pz: ⁊ añs ē verū: q̄ suū ꝗdictorium ē falsum. ſ. aliquis nō homo est grāmaticus oz ergo negationē negatiue teneri ⁊ p⁹ponī subiecto dicēdo null⁹ hō ē grāmaticus: g⁰ q̄libet hō ē grāmaticus: nūc ꝗña ē bona ⁊ añs falsū sicut ⁊ ꝗñs. Tertia regula erat ista negatio ꝓposita ⁊ postposita facit equipollere suo subalterno. Contra arguiꝰ sic illa cōsequentia nō valet nō quelibet chimera ē non homo: ergo aliq̄ chimera est homo: ⁊ tamen arguiꝰ p regulam: ergo regula falsa: ꝗña tenet cum minore: q̄ arguiꝰ negatiōe ꝓposita ⁊ p⁹posita: ⁊ maior, probatur: Mā añs est verū ⁊ ꝗñs falsū: ergo ꝗña nō valet q̄ ꝗñs sit falsum manifestū ē: sed q̄ antecedēs sit verū, probatur: q̄ suum ꝗdictoriū ē falsum. ſ. q̄ q̄libet chimera ē non homo: q̄ ex isto sequiꝰ q̄ q̄libet chimera ē a z⁰ adiacēte ad ꝝm adiacēs: ⁊ cōsequens ē falsū g⁰ ⁊ antecedens. Dicitur q̄ illa ꝗña non

valet nō ꝗlibꝫ chimera ē nō homo: ergo aliqua chimera ē homo ꝓm q, pbat argumentum nec arguit p regulam ⁊ cuz dī q arguit negatiōe preposita ⁊ postposita ergo arguit p regulam: nego ꝓnaz q nō asserit 2ª q ḡhtercūqz ꝓponat ⁊ postpōatur negatio faciat eqpollere suo subalterno sed oz q ꝓponat toti, ppositioni ⁊ postponatur imediate subiecto ita q ꝑcedat verbum principale qualiter non fit i, ppositio q nega° secūda postponit copule, ppte/rea bñ sequitur ñ quelibet chimera nō est hō: ergo aliqua chimera ē hō ꝓsequentia iā bona ē sed antecedēs ē falsum q suuz ꝓdictorium ē verum. ſ. quelibet chimera non ē homo quia nulla chimera ē homo quare ⁊cetera.

Capitulum ꝓuestionum tres ꝫtinet diffinitiōes quarum pria est ista. Cōuersio simplex ē trāspo° subiecti i predicatum ⁊ eꝓuerso manente eadē qualitate ⁊ quātitate. Cōtra arguit sic aliqua, ppositio ꝓuertitur simpliciter ⁊ tñ mutatur quātitas: ergo diffinitio falsa ꝓña tenet ⁊ añs, pbatur. Nam hec, ppositio sor ē animal conuertitur simpliciter ī istaz aliquod animal est sortes quia hec cōuersio ñ est per antecedens cum nulla sit vniuersalis nec per ꝓpōnē propter carentiam termini ifiniti: ergo ē conuersio simplex ⁊ tamen mutatur quantitas quoniam conuersa est singularis ⁊ cōuertēs est particularis. Eadem difficultas potest fieri conuertendo istam homo ē aial in istam aliquod animal ē homo quaruz prima ē indefinita ⁊ altera ē particularis ergo mutatur quātitas ⁊ tamen ē cōuersio simplex quia nō videtur per accidēs nec per ꝓpositionem. Ideo respondetur q argumentum, pcedit verbaliter cōtra diffinitionem ⁊ nō contra sanum ī tellectum re': dicatur ergo q quelibet illaꝝ conuersionum est simplex ⁊ cum dicit q ibi mutatur quantitas dicitur q verū est ꝓm communem modum sumendi quantitatem sed non ꝓm modum sumendi re' eo q capit ibi quantitatem pro suppositōne vt ita glosetur diffinitio cōuersio simplex est trasspositio subiecti in predicatum ⁊ ecōuerso manēte eadē quantitate. i. suppositiōe ita q si in conuersa aliquis terminus supponeret distributiue determinate vel discrete eodem modo in cōuertente supponit. Et si dicitur q exª que ibi assignantur sonant q quantitas sumatur, p vniuersali indeffinita vel singulari dicit ꝫz q aut. Ad ꝫ. primo primorum exª pōi° non vt ita fit sed vt sentiant adiscentes. Secunda diffinitio fuit ista conuersio p accidens est trāspositio subiecti in predicatum ⁊ econuerso manente eadem qualitate sed mutata quantitate. Cōtra arguitur sic ista conuersio est per accidens Omnis homo est risibilis: ergo omne risibile est homo. ⁊ tamen non mutat quātitas: ergo diffinitio insufficiens tenet cōsequentia cum minori quia quelibet ista/rum ē vniuersalis ⁊ maior probatur. Nam ista ē conuersio quia fit d' subiecto pdicatū ⁊ eꝓ° ⁊ ñ ē ꝓuersio simplex quia vniuersalis affirmatiua ñ cōuertit simpliciter nec p contrapositiōez propter carentiam terminoꝝ ifinitorum: ergo ē cōuersio per accidens. Respondetur q cōuersio predicta ē per accidens. Et cum dicitur q nō mutatur quātitas nego sumēdo quātitatem per suppositionē vnde in cōuersa supponit li homo distributiue ⁊ li risibilis confuse tantum. In ꝓuertēte autem econuerso li risibile distributiue ⁊ li homo cōfuse tantum. Blosetur ergo sic diffinitio. Conuersio per accidens ē trāspositio extremoꝝ manēte eadez qualitate sed mutata quātitate. i. suppositiōe

Ex ista regula sequitur primo q illa ē cōuersio per accidens homo est risibilis ergo omne risibile est homo quia ē conuersio nō simplex nec per contrapositionem: ergo per accidens. Secundo sequitur q iste versus. Feci simpliciter ⁊ē. nō ponit rōe veritatis: sed magis ratiōe exempli ex eo q nō solum vniuersalis potest ꝓuerti per accidens imo indefinita ⁊ particularis. Tertio sequtur q sicut i ꝓuersione p accidēs ꝓuersa ē falsa ⁊ ꝓuertens Va ita similiter eꝓuerso. pbatur ⁊ facio duas ꝓuersiones p accidens prima ē ista. O ē animal ē homo: ergo hō ē aial.

2ª hõ ẽ animal: ergo oẽ animal ẽ hõ. pz
q; i pª conuersa est fla ⁊ ꝓuertens ꝟa ⁊ i
ꝟa cõuersa ẽ vera ⁊ conuertens falsa.
Tertia diffiniº erat illa. Conuersio p cõ
trapositionez ẽ transpositio subiecti i pre
dicatũ ⁊ econuerso manente eadem quã
titate ⁊ qualitate sed mutatis terminis fi/
nitis i terminos ifinitos. Contra argui
tur sic ipsa iplicat cõtradictiõez: ergo ipsa
ẽ ipossibilis tenet consequẽtia ⁊ ãcedẽs
ꝓbatur. Nam si in ꝓuersa subiectuz ⁊ p
dicatum sunt termini finiti ⁊ in cõuerten
te subiectum ⁊ predicatum sunt termini i
finiti sequitur q; nulla fit: ꝓuersio conse/
quentia tenet q; terminus finitus nõ põt
esse terminus ifinitus nec ecõuerso. Vbi
gratia ois homo ẽ animal habet pro sub
iecto li homo ⁊ p predicato li aĩal sed illa
omne nõ animal ẽ non homo ñ habet p
subiecto neq; p predicato aliquem illoꝝ
terminoꝝ nec sibi similium: ergo nulla ẽ
cõuersio 2ª cum prima. Respondetur
negãdo q; ꝑdicta diffinitio iplicet contra
dictionem ⁊ tũc ad argumentuz negatur
cõsequentia quia non dicitur i diffinitiõe
q; subiectum fiat predicatum aut ecõuer
so sed q; fiat trãspositio terminorum vel
extremoꝝtm. vnde potest transponi sub
iectum in predicatum absq; hoc q; fiat p/
dicatum ⁊ predicatum potest transponi i
subiectum absq; hoc q; fiat subiectũ. vñ
ad hoc q; subiectum transponatur in pre
dicatum sufficit q; fiat predicatum aut ps
predicati nõ debito ⁊ regulari qualitez fit
i proposito. Ex predictis sequitur q; nª
ꝓuersio ẽ vniuersaliter cõsequentia for/
malis preter conuersionem simplicem, p
batur q; nõ conuersio per accidens quia
aliquando cõuertens ẽ vera ⁊ conuersa
fª ⁊ econtrario vt ostensum est. Nec
etiam cõuersio per ꝓtrapositionem quia
aliquando ꝓuertens est vera ⁊ conuersa
falsa ⁊ econuerso q; ꝓbatur sic illa ẽ ꝟa
chiª nõ est animal ⁊ sua cõuertens est fla
scilicet aliquod nõ aĩal nõ est nõ chimera
q; suũ contradictoriũ ẽ vex. s. omne non
aĩal ẽ nõ chimera vt pz p exponẽtes. Si
milit ista ẽ falsa ois chimera ẽ aĩal ⁊ tam
sua cõuertens ẽ vera. s. omne non anial
ẽ ñ chimera vt pz per suas exponẽtes. s.
aliquod nõ anial ẽ non chimera ⁊ nihil ẽ
nõ animal qn illud sit nõ chimera: gº oẽ
nõ animal ẽ nõ chimera qr ⁊c.

Ꝑ materia ypotheticarum inse/
rebantur alique regule quarum
prima erat ista. ad veritatem con
ditionalis affirmatiue requiritur q; con/
tradictoriũ consequentis repugnet ante/
cedenti ex qua iferebat alia q; ad falsitatẽ
eius regritur ⁊ sufficit q; contradictoriuz
consequẽtis stet cũ antecedẽte. Cõtra q̃s
regulas arguit sic aliqua ẽ conditionalis
vera affirmatiua cuiº contradictoriũ cõse
quentis stat cum añte: ergo regule fª ꝓña
tenet ⁊ añs, ꝓbatur. Cuiuscunq; cõditio
nalis affirmatiue añs ẽ verum ⁊ conse/
quens fm contradictoriũ ꝓsequentis stat
cũ añte sed aliqua est ꝓditionalis affirma
tiua vera cuius añs est verum ⁊ ꝓñs fal
sum: ergo aliqua ẽ ꝓditionalis affirmati
ua ꝟa cuius ꝗdictoriũ ꝓñtis stat cum
añte. tenet ꝓña q; ẽ sillogismus i 3º pe fie
ꝓbatur maior qm̃ si añs istius ꝓditional
ẽ vex ⁊ ꝓñs falsum tẽ ꝓtradictoriũ ꝓñtis
ẽ vex ⁊ añs filr est vex. sed omnia vera
stant simlr: ergo cuiuscũq; tal conditiona
lis contradictoriũ consequentis stabit cũ
antecedente minorem: ergo ꝓbo. Nam
hec ꝓditionalis ẽ affirmatiua nisi tu es a
nimal tu nõ es hõ ⁊ patet q; añs ẽ verum
s. tu es aĩal ⁊ consequens falsum. s. tu nõ
es hõ. Respondet q; regule date de veri
tate ⁊ falsitate conditionalis respiciunt so
lummodo conditionalẽ denominatã a li
si ⁊ nõ a li nisi. Ideo bene probatur q; a
liqua est cõditionalis vera ⁊ affirmatiua
cuius contradictorium consequentis stat
cum antecedente. s. conditionalis deno/
minata a li nisi. sed de tali non est mẽtio
ibidem immode sola conditionali deno/
minata a nisi. Secunda reª erat ista.
Ad veritatem copulatiue affirmatiue re
quiritur q; quelibet pars principalis sit
vera. Ex qua inferebatur q; ad falsitatez
eius sufficit vnam partem esse falsam.
Contra quas arguitur sic. Aliqua est co
pulatiua affirmatiua vera: cuius vna ps
principalis ẽ falsa: ergo regª fla tenz ꝓña

ꝛ aſis ꝓbatur iſta ē copulatiua Ya ꝛ affir
matiua aliquod aial ē ꝛ ſi tu es illud tu es
aſin⁹: ꝛ ꝟa pars ꝓcipalis ē falſa: g⁰ ꝛc.
Ꝓña tenet ꝛ ꝓbaꝫ ꝓma ꝑs añtis h⁰ aial
ē ꝛ ſi tu es illud tu es aſin⁹ demonſtrādo
bruncellū ꝛ hoc ē aliqd aial: ergo aliquod
aial ē ꝛ ſi tu es illud tu es aſinus. Ꝓña ꝑz
quia nō videꝫ alius mod⁹ ꝓbandi illam
copulatiuā. ꝟa pars añtis ēt ꝓbatur.
Mā iſta ꝓpoſitio ſi tu es illud tu es aſin⁹
nō videꝫ aſſertiue ſignificare aliud q̄z q̄
ſi tu es aial tu es aſin⁹: ſed hoc ſignifica
tū ē falſum q̄ ſi tu es aial tu ſis aſin⁹: g⁰
ꝟa ꝑs ꝓcipalis ē f⁹. Dicitur q̄ iſta co
pulatiua ē vera ꝛ ꝟa ꝑs ē vera ſicut ꝛ p⁹
ꝛ nego q̄ ſignificet mō dicto. ſ. q̄ ſi tu es
aial tu es aſin⁹: qꝛ tunc rel'in ſtaret ꝓfuſe
tm̄ ꝛ aſis determiate cuius oppo^m dictuz
ē in materia relatiuoꝝ. Dictum ē etiā q̄
licitū ē loco relatiui ponere aſis vbi ſerue
tur eadē ſuppoſitio: ſed li animal in ꝓria
ꝑte ſtat determinate ꝛ poſitum loco rela
tiui ſtat confuſe tm̄. iō incꝑte aſſignatur
ſignificatum ſecūde partis dicēdo ipſam
ſignificare q̄ ſi tu es animal tu es aſin⁹.
debet ergo cōuerti relatiuum in ſuuz an
tecedens ſtans determinate dicendo ſe
cundam partem ſignificare q̄ aliquod a
nimal ſi tu es tu es aſinus. ꝛ hoc ē verū
qꝛ hoc ſi tu es demonſtrando aſinū tu es
aſinus ꝛ hoc eſt aliquod aial ſi tu es tu eſ
aſinus. 3ª rᵉ erat iſta. Ad poſſibilitatez
copulatiue regritur quālibet partem eſſe
poſſibilem ꝛ nullam alteri incōpoſſibilez
ex qua inferebatur q̄ ad impoſſibilitatez
eius requiritur ꝛ ſufficit vnam partē eſſe
impoſſibilem vel vnam alteri incompoſ
ſibilem. Contra quas regulas ſic argui
tur. Aliqua eſt copulantia affirmatiua i
poſſibilis cuius quelibet pars eſt poſſibi
lis ꝛ nulla alteri repugnat: ergo ambe rᵉ
falſe conſequentia tenet ꝛ antecedens ꝓ
batur. Nam iſta copulatiua ē impoſſi
bilis omnis homo currit ꝛ tu es homo ꝛ
tu non curris quia ex duabus premiſſis
partibus ſequitur contradictorium 3ᵉ in
3⁰ ꝓie figure: vt bene patz intuenti: ꝛ ta
men quelibet eius pars eſt poſſibilis: vt
patet ꝛ ꝓbatur q̄ quelibet cuilibet ē cō
poſſibilis. Nam iſte duo ſunt compoſ
ſibiles omnis homo currit ꝛ tu es homo
ꝛ iſte ſunt compoſſibiles tu eſ homo ꝛ tu
non curris ac etiam iſte tu non curris ꝛ
omnis homo currit: ergo quelibet cuili
bet eſt compoſſibilis. Ideo dicitur q̄ iſte
due rᵉ date non reſpiciunt niſi copulati
uam factaz ex duabus partibus qualiter
non eſt in propoſito qꝛ aſſignatur copu
latiua facta de tribus partibus. Si ergo
queritur regula generalis poſſibilitatis
copulatiue dicitur q̄ ad poſſibilitatem co
pulatiue regritur q̄ quelibet pars ſit poſ
ſibilis ꝛ q̄ nulla alteri vel alijs ſit incom
poſſibilis qualiter non eſt in propoſito:
quia licet huiuſ copulatiue quelibet pars
cuilibet ſit compoſſibilis: non tamen qui
buſlibet: vnde iſta omnis homo currit ñ
eſt compoſſibilis iſtis tu es homo ꝛ tu ñ
curris ſimiliter iſta tu non curris non eſt
compoſſibilis iſtis tu es homo ꝛ omnis
homo currit: quia ex illis duab⁹ ſingula
ribus ſequitur contradictorium vniuer
ſalis. nam ſequitur tu non curris ꝛ tu es
homo ergo non omnis homo currit.
Quarta rᵃ erat iſta ad neceſſitatez copu
latiue requiritur quālibet partem eſſe ne
ceſſariam ex qua inferebatur q̄ ad ꝓtin
gentiam ipſius ſufficit vnam partez eſſe
contingentem ꝛ nullam alteri incompoſ
ſibilem. Contra ſecundam regulam pro
cedit argumentum factum iam: ſed ꝓtra
primam ſic arguitur. Aliqua copulatiua
eſt neceſſaria cuius vna pars eſt contin
gens: ergo rᵃ falſa conſequentia tenet ꝛ
antecedens ꝓbatur. Et capio iſtam co
pulatiuaz non nullus deus eſt ꝛ tu es ho
mo iſta eſt neceſſaria: quia ſuum oppoſi
tum ē impoſſibile videlicet nullus deus
eſt ꝛ tu es homo quia non verius datur
contradictorium q̄z preponendo negatio
nem toti q̄ autem altera pars ſit contin
gens patet de iſta tu es homo que eſt ſe
cunda pars eius. Reſpondetur q̄ iſta
rᵃ ſicut ꝛ quelibet alia data intelligiꝫ de
copulatiua affirmatiua ꝛ non de negati
ua ſm q̄ in primo capitulo ē expreſſum.
Quinta regula fuit iſta. Ad veritatez
diſiunctiue affirmatiue ſufficit vnaz par

tem esse veram ex qua inferebatur q̃ ad falsitatem eius requiritur quālibet partē esse falsam. Contra quas regulas arguitur sic. Aliqua disiunctiua est falsa ⁊ tamen vna eius pars ē vera: ergo ambe regule faise. consequentia tenet ⁊ antecedens ꝓbatur ista est vna disiunctiua falsa. Omnes homines sunt asini vel homies ⁊ asini sunt asini. ⁊ tamen vna eius pars ē vera: ergo regula falsa consequentia tenet ⁊ antecedens ꝓbatur ⁊ primo q̃ ista sit vna disiunctiua: qr i ea coniunguntur plures cathegorice per notam disiunctionis: q̃ autem ipsa sit falsa, ꝓbatur. Nam quelibet eius pars principalis est falsa: ergo ipsa est falsa consequentia tenz ⁊ antecedens probatur quoniam ista ē falsa. Omnes homines sunt asini ⁊ ista similiter homines ⁊ asini sunt asini ⁊ iste sunt partes principales. vt patet intuenti: g° ⁊ cetera. q̃ autem vna eius pars sit vera probatur quelibet istarum est ꝟa omnes homines sunt asini vel homines que est vna eius pars. ⁊ similiter ista asini sunt asini: ergo vna eius pars est vera. Respondetur cum proponitur. Omnes homines sunt asini vel homines ⁊ asini sūt asini vtrum respondens velit eam habere pro copulatiua vel disiunctiua. Si pro copulatiua vera est: quia ambe partes principales sunt vere ⁊ tunc ad argumentum dicitur q̃ non est ad propositu; si vero habeatur pro disiunctiua negatur ista quia ambe partes principales sūt false sicut probatum est. Et cum dicit vna eius pars est vera concedo nulla tamen pars principalis ē vera de qua intendit concedit ergo ꝓ° q̃ aliqua disiunctiua est f^a ⁊ tamen vna eius pars est vera ꝯ hoc non est contra regulam qr intelligit de principali qualiter non ē in argumento assumpto. Sexta regula fuit ista. Ad possibilitatem disiunctiue sufficit vnam partem esse possibilem ⁊ ad impossibilitatem eius requiritur quālibet eius partem esse impossibilem. Contra ambas regulas arguitur sic aliqua est disiuctiua affirmatiua impossibilis cuius quelibet pars principalis est possibilis: ergo ābe regule false consequentia tenet ⁊ antecedens probatur. Nam contingenter tu es vel tu non es suppositio q̃ aduerbium determinet totum ⁊ tamen quelibet eius ps principalis est possibilis: ergo consequētia tenet ⁊ prima pars antecedentis probatur quia suum oppositum est necessarium videlicet necessario tu es vel tu ñ es ⁊ secunda pars etiam patet quia quelibet istarum est possibilis tu es tu non es. Ideo respondetur q̃ regula intelligitur de disiunctiua affirmatiua ꝟpothetice, ꝓbanda ⁊ non cathegorice qualiter non ē in proposito eo q̃ quelibet istarum contigenter tu es vel tu non es necessario rex sedet vel nullus rex sedet est exponibilis ꝓbanda sicut iste ꝓtingenter tu es necessario deus est. Septima regula erat ista ad necessitatē disiunctiue affirmatiue sufficit vnam partem esse necessariā vl'oēs inuicem ꝓtradici. Ex qua sequebatur q̃ ad contigentiam. eiusdem requirit quālibet partem esse cōtingentem ⁊ nullam alteri repugnare. Contra istas regulas arguitur. Aliqua ē disiuctiua necessaria cuius quelibet pars ē contingens ⁊ nulla alteri repugnat: ergo ambe regule false consequentia tenet ⁊ antecedens probatur. Nam ista disiunctiua ē necessaria antichristus non ē albus vel antichristus est coloratus ⁊ quelibet eius pars est cōtingens ⁊ nulla alteri repugnat: ergo ⁊ ē antecedens ꝓbatur ꝓ qualibet parte ⁊ primo q̃ ista sit necessaria quia suum oppositum est impossibile videlicet antichristus ē albus ⁊ antichristus non est coloratus. Secunda pars pz. s. q̃ quelibet eius ps sit contingens qr indifferenter pōt ē vera ⁊ falsa vt bene pz. Tertia etiam ps patet quia nulla illarum partium alteri repugnat quia possibile est q̃ antichrist^s sit niger quo posito hec forent simul ꝟa antichristus non est albus ⁊ antichristus est coloratus: ergo non ad inuicem repugnant. Respondetur q̃ dimminute recitata est regula contingentie disiunctiue sed oportet plus addere scilicet q̃ contradictoria partium non repugnant.

Nunc ad propositum disiunctiua

prolata est necessaria: ⁊ quelibet eius ps
est cõtingẽs: ⁊ nulla alteri repugnat: sed
opposita illarum partiũ repugnãt: vide
licet antichrystus est albus: antichrystus
nõ est coloratus: quare nihil cõtra regu
lam. Notandũ q̃ contra qualibet ista
rum regularum cõtentarum in materia
ypotheticarum potest argui ex assignatio
ne ypothetice negatiue vel partis nõ pri
cipales. vbi ergo tales obiectiones pro
cederent dicatur regulas ypotheticarum
in negatiuis nõ tenere: neq; etiam de pti
bus: quare ⁊c.

Materia predicabiliũ quasdam cõ
tinet diffinitiones. Quarum pri
ma est ista. Genus est terminus
vniuocus predicabilis in quid de pluri
bus differentibus specie: ut animal.
Contra istam diffinitionem arguitur sic
li corpus animatum est genus: ⁊ tamen
nõ est terminus vniuocus: ergo diffini
tio insufficiens: tenet cõsequentia cũ ma
iori: ⁊ minorem probo. Nam omnis ter
minus vniuocus est terminus simplex:
sed li corpus animatũ non est terminus
simplex: ergo nõ est terminus vniuocus
Dicitur q̃ li corpus animatũ non est ge
nus nec li animal rationale: quia quodli
bet genus debet esse terminus simplex.
Et si allegarũt porphirium ponẽs istum
terminũ ꝑ genere dicitur q̃ posuit sic q̃
ita esset: sed gratia exempli: aut quia caru
it termino simplici loco: ergo illius ĩmi
ni corpus animatũ debet poni vnus isto
rum simplicium viuens vel viuum me
dians inter li animal ⁊ li corpus: vnde
oẽ aial ẽ viuens: sed nõ ecõuerso: similit
omne viuẽs est corpus: ⁊ nõ ecõuerso:
loquendo de viuente composito ex ma
teria ⁊ forma li animal rationale: g⁹ fru
stra positum est pro genere: quia est diffi
nitio hominis: sed ideo posuit porphiri⁹
quia sequebatur opinionem platonis po
nẽtis celũ esse animal rationale: cui⁹ opi
nionem negamus ad presens. Secũ
da diffinitio erat ista: Genus generalis
simũ est quod ⁊ uz sit genus nõ potest esse
species. Ex qua inferebatur alia q̃ gen⁹
subalternũ est illud quod cum sit genus
potest esse species. Cõtra istas sic ar
guitur li substantia est genus generalissi
mum ⁊ potest esse species: ergo diffini ti
ones insufficiẽtes: tenet cõsequentia cũ
maiori: ⁊ minorem probo. Nam li sub
stãtia potest cõuerti cum illo termino ho
mo: ergo potest esse species: cõsequentia
tenet: antecedens similiter per nouã im
positionem. Respondetur q̃ argumen
tum verbaliter procedit ⁊ nõ cõtra intel
ectum diffinitionum. Prima nanq; si in
telligitur genus generalissimum ẽ illud
quod cum sit genus nõ potest esse speci
es sic adequate significando. Nunc ad
propositum li substantia potest esse speci
es: sed non sic adequate. significando. ſ.
ſbaz. Tertia diffinitio principalis fuit
ista species est termin⁹ vniuocus nõ ſu
prem⁹ ꝑdicabil' in qd d' plurib⁹ Cõtra
arguit sic: ſbaz est termin⁹ vniuocus nõ
supremus predicabilis in quid de pluri
bus: ⁊ tamen nõ est species: ergo diffini
tio insufficiens: tenet consequentia cũ mi
nori: ⁊ maior probatur. Nam q̃ li sub
stantia predicetur de pluribus in quid:
patet: ⁊ q̃ sit terminus nõ supremus ꝑ
batur. Nã aliqs terminus ẽ supra eum:
ergo nõ est supremus: cõsequẽtia tenet:
et antecedẽs ꝑbat de isto termino ens qui
est supra istũ terminũ substãtia: quia om
nis substãtia ẽ ens: ⁊ nõ ecõtra. Rñdet
q̃ quẽadmodũ li ſba ẽ genus generalis
simũ: ita ẽ termin⁹ supr⁹: ⁊ cũ dr li ens
ẽ sup̃ eũ: nego: q̃ supioritas ⁊ iferioritas
nõ reperit nisi i ꝑdicamẽto: ⁊ li ens nõ est
i ꝑdicamẽto: g⁹ nõ ẽ sup̃ nec infra. Et cũ
dr ois ſba ẽ ens ⁊ nõ ecõuerso ergo li ens
est supra nõ ualet ꝓña: sed bñ sequit: g⁹ ẽ
ĩminus cõior vel prior sicut nõ sequi ur
ois substãtia ẽ homo vel nõ hõ ⁊ nõ ecõ
uerso: ergo li hõ ⁊ nõ hõ ẽ ĩmin⁹ supior
null⁹ aũt termin⁹ cõpositus ẽ sup̃ vel in
fra aliquẽ terminũ ꝑdicamentalem.
Quarta diffinitio fuit ista spẽs specialis
sima ẽ ĩmin⁹ q̃ cũ sit spẽs nõ põt cẽ gen⁹
Ex qua inferebat ⁊ q̃ spẽs subalterna est
ĩmin⁹ q̃ cum sit species potest cẽ genus
Cõtra arguit sic ille ĩmin⁹ hõ ẽ spẽs
spãlissima: ⁊ põt esse genus: ergo neutra

diffinitio sufficiens ꝟña tenet cū maiori ⁊ mio: ꝑbat q̃ pōt ꝟuertī cū illo ĩmio aial
